et rationabili consuetudini et Conclusioni per Universitatem Anno Domini 1714to latæ et Libro Conclusionum insertæ, occurrente vacatione, habito priùs cum Clarissimis dominis Doctoribus et Professoribus actu Collegium inhabitantibus consilio et assensu obtento, vocandum Professorem actu laborantem Domui et Facultati proficuum Universitati præsentet, Universitasq; hunc et non alium ad Collegium et Professionem vacantem, vocet ac à violenta subjecti, vel subjectorum impositione sub nullitate ipso facto vocationis abstineat. Quæ enim per vim fiunt carere debent robore firmitatis. c. Ad audientiam. de his, quæ vi metusve causa fiunt.

STATUTUM XII.

De Examine Professoris vocati.

Sic ut præmissum est vocatus ad Collegium Professor, antequam illud ingrediatur et possessionem Cathedræ adeat, debet se, similiter sub nullitate vocationis, subdere examini Clarissimorum Doctorum Collegium actu inhabitantium, ut per illud se idoneum et habilem ad docendum exhibeat. Idoneis enim Magistris non est deneganda licentia docendi, aliàs hoc ipso denegaretur doctrina ignorantibus. c. Quoniam. et ibi glos. v. Qui sit idoneus. de Magistr.

STATUTUM XIII.

De Disputatione vel Principiatura ante Ingressum præmittend.

Ad Collegium vocatus Professor, quamvis privatim per examen vires quid valeant, humeri quid ferre recusent monstraverit; tamen ad Cathedram et Professionem fidei sub pœna superioribus immediatè Statutis duobus expressa, admitti non debet